



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. IX. Margarita Luciliburgo redit ad Mariae Vallem cum Senatu Comitum Luciliburgensis suisque clientibus; inter quos Cuno de Rulandt, Theodorici frater. Yolanda partim vi, partim astu abducitur ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

peractum, mensæ accumbitur. Erat cibus supra quam putaverat Yolanda, admodum durus, furfuraceus panis, potus tenuis. Edebat tamen ipsa sapidè, facilè oblita deliciarum, quibus Viennæ in aulâ paternâ assueverat, Quippè dum ne è cœnobio cogeretur discedere, certa pati omnia aspera, ipsamque adeo mortem.

## CAPUT IX.

*Margarita Luciliburgo redit ad MARIÆ Vallem cum Senatu Comitatus Luciliburgensis suisque clientibus; inter quos Cuno de Rulandi, Theodorici frater. Yolanda partim vi, partim astu abducitur Luciliburgum; ubi à matre veste sacrâ spoliatur, & tandem Viennam per multa Ludibria reducitur.*

**I**Nter hæc Luciliburgo rediens appropinquat Margarita, multâ comitante virorum equestrium atque nobilium familiarumque turbâ. Aderat quoque Senatus Comitatus Luciliburgensis [constans hominibus summo loco natis, In tabulis quibusdam Tifferdinganis, novennio antè hæc tempora scriptis, nominantur *Edelinus de Meisenburch, Dominus Robinus de Asche, Dominus Vviricus de Berepere, D. Rudolfus de Vilario, D. Ægidius de Rodemacherâ.* Inter clientes verò Margaritæ  
erat

erat Cuno de Rulandt, vir illustris, frater, nisi fallor, Theodorici de Rulandt, de quo Cæsarius Heisterbacensis anno MCCXXII. ita scribit. *Frater VValtherus monachus in Hemmerode referre solet miraculum, cui se interfuisse memorat. Cum peregrini in primâ expeditione obsiderent civitatem Achon (cœpta est autem obsideri anno M.C.LXXXIX) contigit quodam die, ut egressi Saraceni, manu violentâ propellerent Christianos in castra sua. Erat autem tunc ibi miles quidam iuvenis, Theodoricus nomine, frater Domini Cunonis de Rulandi, qui adhuc vivit. Is fluxu sanguinis adeò laborabat & infirmabatur, quod in lecto suo non per se, sed in linteamine vertebatur. Hic audito strepitu & clamore fugientium, interrogavit, quid hoc esset? Et cum audisset rem, iussit sibi afferri arma sua, & se armari in lecto sedendo. Tandem strato dextrario suo & accinctus ense, iussit se levare super equum suum; & fluebat sanguis etiam per sellam; acceptâque lanceâ exivit dicens: Deus adiuva me & sanctum Sepulchrum! Qui tantâ vehementiâ prorupit in Saracenos, transiens & circumgyrans, percutiens & propellens, quòd omnes Christiani animati & confortati sunt per eum solum, adeò, quòd eiecerunt hostes à castris suis. Quo facto rediit ad lectum infirmitatis suæ, & tertiâ die mortuus est. Hæc Cæsarius. Cæterùm Cunonis Rulandij nomen iam indè ab anno M. CC. XIII. in prisca tabulis invenitur.*

Horum ergò omnium cum Margaritâ advenientium eminus exaudiebatur sonitus atque strepitus per silvam, quæ cœnobio imminet, adequitantium. Iam vallem omnes tenebant, Mo-

D

nalte-

nasteriumque subibant. Senatus Luciliburgensis  
 habebat in mandatis ut nisi extemplò redderetur  
 Yolanda, Cœnobium flammis traderet. Hi ergò  
 procedentes, iubent è vestigiò ad se prodire San-  
 ctimoniales. Ubi eæ advenère, tum Margarita  
 excandescens: facite confestim, ut prodeat quo-  
 que filia mea, quam mihi rapuistis. Statim mihi  
 discedendum. Si quid illa vobis promisit, id sci-  
 licet venti differant. Abibit unà mecum, & quod  
 malè mihi fecit, id profectò luet. Ite; festinate;  
 facite mox imperata. Mora est dum proficiscor,  
 Sanctimoniales ingenti percussæ metu, verentes-  
 que, ne suprâ Margaritæ iram, Comitum quoque  
 Luciliburgensis indignationem incurrerent, cum  
 cernerent cassas fore preces atque lacrymas, Yo-  
 landam matri ad cancellos sistunt. Ibi tum mater,  
 irâ vecors; Itane mei oblita es, tuæ matris?  
 Quanquam quid me matrem tuam appello, quam  
 tu abnegasti? Sed detur hæc ætati tuæ im-  
 maturæ hæc stultitia. Deinceps respisce, & dum  
 licet, me sequere. Nî facis, incendam Monaste-  
 rium hocce tuum, teque unà tradam ignibus.  
 Habes, ecce, quod eligas. Nec tergiversêre. Ad  
 hæc Yolanda intrepidè: Rarò perdit, quisquis eli-  
 git. Proindè iam elegi ego; & hoc est, quod do-  
 let tibi. Iam etiam mater es mea; id confiteor.  
 Sed quæ materno adhuc in me fuisti animo, sine  
 modo, ut hoc animo fruar. Da, si vis, maternæ  
 pietatis specimen. Nam mihi quidem hoc loco  
 vivendum atque moriendum est. His dictis intrò  
 abscessit

abscessit, destitutâ foris matre & præ irâ mentis impote. Nec minus Viri Nobiles facinus iuven- culæ indignissimè ferentes, summam id matris in- juriam interpretabantur.

Itaque absque morâ Cœnobium solo tenus excindi atque exuri mandant. Id ubi vident Prædicatores, properè portam aperiunt, & mi- serabili oratione Senatum accipientes, intromit- tunt. Vadunt unâ omnes rectâ ad Yolandam. Illa imperterrita confederat. Tum Waltherus: Filia mea charissima, charissima mea filia! Nunc in perplexis adeò rebus, tu ipsa da consilium. Hi ecce, quos cernis, cum mandatis adsunt, ut vel vi hinc te abstrahant. De Monasterio ita de- cretum, ut cumulus fiat cinerum, si hîc vel mo- mento uno substiteris. Me quidem iudice, po- tes absque noxâ hinc cum matre discedere. Dies unus sæpè rem convertit in melius. Fortè ipsa se recolliget, & maiore te honore commodoque tuo huc postea reverti sinet. Exhorruit eo Wal- theri consilio Yolanda, & uberrimis infusa la- crymis, flens gemenisque: Heu me miseram; in- quit. Quo me nunc vertam? Quo me, Walthe- re, deberes ipse tu ultrò impellere, hinc me re- trahis? Vis ut rebus terrenis me reddam, quibus ereptam per te me oportuit? Quæso, quo hæc tu animo? Tu, qui haberes Vir Sanctus, atque et- iam iudicio meo es, quî suadere potes, ut matris iram interitu meo placem? Sed tu de te videris. Ego, fanè, panem ostiatim potius mendicabulum

D 2

vile,

vile, quoad vixero, conquiram, quàmque Ordinem; cui me dedidi, his malis territa destituam. Iam, si domus hæc incenditur, solatio erit simul exuri me. Attoniti stabant hæc oratione omnes. Tum Waltherus flens, & supplices jungens manus, ad genua Yolandæ repente corruit. Da veniam, Domina, inquit; vince parumper indomitum illum tuum animum. Miserere huius Cœnobij. Quid possunt hi parietes, quos tu flammis tradi finis? Nisi fortè crimen est, quod te susceperunt? Miserere Sanctimonialium, quarum omnis culpa est, quod auxilio tibi esse cum perventum, non possunt. Tu hæc perdes? Nimirum, ut te salvâ, illæ pereant, postquam Principum irâ, domo hæc subrutâ, ipsæ eiectæ atque expulsæ, nullum habebunt usquam, quo se recipiant, locum. At de te, quid tum fiet? Simul, opinor, profugies, aliudque alibi Cœnobium vaga perquires. Quæso te, me potius audi. Poteris huc olim maiore tuorum gratiâ, tuoque maiore comodo reverti. Quid hic Yolanda ageret? Deserta undique ab omnibus, obfirmat tamen animum, cœptique constantiam invicta retinet; donec tandem fides ei data est, liberum ei semper, integrumque fore, cum vellet, redire; additum quoque, jungendas ei duas Sanctimoniales, quæ deducerent atque intrâ triduum reducerent. Yolanda cernens se omni destitutam auxilio, abibat suadere Waltherum, iubere Antistitam, conditionem accepit. Sed quam invita id faceret,

testa-

testabatur lucidus in ore pallor, & per genas delabens copiosus lacrymarum imber. Visum ei præ mœrore cor dirumpi. Sed fuit necessitati parendum, migrandumque loco. Erat inter viros nobiles [Cuno, ut dixi] Rulandius, Margaritæ cliens. Hic Yolandam tum honoris, tum custodiae causâ deducere iussus est, magno comitante virorum equestrium agmine. Ubi deventum ad *Chorum*, tum Yolanda miserabili voce: Ah Rulandi, Vir Nobilissime, inquit, fac in mei gratiam, quod unicum te rogo; gladium illum, quo accingeris, in me stringe, & caput hoc meum demete. Potius hoc longè salubriusque mihi, quàm ut hinc vi me tollant. Rulandium ita perculit ea vox, ut emollito virilis animi robore, subito prorumpentibus lacrymis loco cedere debuerit, & Yolandam fidei suæ contraditam destituere. Mox Waltherus adest, vicem functurus Rulandij. Ubi Yolanda ad matrem perducta est, illa repente infiliens pallium eius vi conatur avellere; contra maiore vi obnitens Yolanda, pallium artificissime strictum retinet. Paratus erat sonipes. Huic illa, quidquid ageret, imponitur. Tum verò maiorem in modum augeri miseræ animi dolor. Cumque se solam in potestate matris cerneret, atque à Cœnobio abduci, tum enimverò delusam se intellexit. Frustrâ erat queri de injuriâ. Debuit mala sua ipsa secum concoquere. Unde perturbatæ & pœnè dejectæ de animo, subiit cogitatio, ut in terram se labi sineret, satius existi-

mans, ibi se emori, quàm Ordinem deserere. Tantum erat vitæ rerumque omnium fastidium. Certè quod præ mœrore atque tristitiâ pectus non diffiliret, virtus divina dabat; quæ & mentem afflictissimæ inspiravit, ut omnia patienter ferret usque ad ultimum vitæ terminum. Hâc mente Deo se commendavit.

Vbi deindè iter ingressi sunt, incredibile dictu est, quid Yolanda perpessa sit. Ausi eam irridere ministri; alius sannis impetebat, alius velum palliumque nigrum petulantibus verbis carpebat, nonnulli etiam in Prædicatores atque Sanctimonialiales maledicta effundebant. Per tot miseræ ludibria, deventum in Civitatem Luciliburgensem. Resciit extemplò Margaritæ adventum (Henricus) Comes. Obviam ergò progressus, Urbanè eam accipit. Atque dum Yolandam salutat, Quæso, inquit, quid eò te adduxit, ut ea faceres, quæ de te famâ ad me perlata sunt? Læta hâc interrogatione Yolanda, datam sibi loquendi ansam: En adsum, inquit, sub fide tuâ. Hanc mihi dedit, quem cernis, Senatus ille tuus. Nunc age, per Deum, præsta, quam dare iussisti fidem, mihi que patrocinare. Impera reduci me, undè sublata sum; nisi decorum tibi fortasse putas, captivam teneri in terrâ tuâ Sanctimonialem misericulam. Ad hæc Comes: Mitte ista, cara filia. Siquid tibi addixere mei, id me latet. Tu matri, quando aliud fieri non potest, obtempera. Hoc dicto excussæ Yolandæ lacrymæ, multa que  
 animo



animo agitati, unicum erat solatium flere. Congregatis interim primoribus, mensæ accumbitur, vix cibi quidquam attingente Yolandâ. Et quamquam per se iniucundum ei erat assidere inter epulantes dum mensæ tollerentur, accedebat ad molestiam, quod petulans ex nobilitate iuventus identidem eam vexaret. Alius pallium eius saltantis more agitare: alius iuncos aut stramen in argumentum derisæ castæ sterilitatis, collo iniicere: alius palam edicebat: Nunc ei profectò nubendum. Esse rem fixam atque decretam. Fuit, qui sero Comitibus accepto, furtim accederet, idque Yolandæ capiti imponeret. Quæ res ita Yolandam offendit, ut correptum subito fertum in ardentibus prunas deiecerit, gravissimè id nonnullis ferentibus. His talibusque exercita ludibrijs, omnia vincebat.

Interim serus vesper adfuit, concedendumque fuit cubitum. Ibi cum cæteræ matronæ vestem de more ponerent, id ut Yolanda quoque faceret impetrari non potuit, donec tandem una earum rogavit, daret hoc sibi, ut clam saltem togam exueret, appromittens, se eam manè pro certo reddituram. His inducta Yolanda paruit utcunque roganti, & togam depositam, ut potuit, abscondit, ac decubuit, somni totâ pœnè nocte expers, cum identidem magnos & miserabiles ederet gemitus. Mater pertæsa tot filix gemituum atque vigiliæ, furtim arrepsit, vestem eius tacitè conatur subducere. Sed repentè Yolanda ex-

surgens, summo nisu matri obsistit, adeò ut pelliceam eius togam sciderit. Neque antea cum solâ Yolandâ luctanti Margaritæ successit è voto labor, quàm accurrentibus nobilibus virginibus auctæ huius vires. Tum ei præda fit erepta sacra vestis; quam continuò ad fenestram decurrens per muros abjicit, spe eius recuperandæ omni ademptâ. Ita veste spoliata Yolanda, noctem reliquam in mœrore summo pervigilavit. Ubi diluxit, adsunt nobiles puellæ; rogant, ut consurgat de lecto. Surgam enimverò, inquit illa, nec quidquam fecero libentius; At vestem, quam mihi rapuistis, è vestigiò reddite. Quod ni fiat, hinc me vis amovere nulla poterit. Illæ nihilominus in rogando persistere, donec certamini intervenit mater. Hinc tum vi adacta surgere Yolanda, vestem induitur splendidam & diversicorem, viris etiam spectantibus. Pro velo nigro, fulgebat in capite sertum aureum unionibus implexum. Cætera capitis alba velamina, permutantur delicato bombycino peplo, tralucetibus per id flavicoloribus & crispantibus capillis, qui post malè tonsam, ut dixi, verticem adhuc supererant. Tunicæ albæ & informi, vimineoque trunco simili, & pallio nigro, succedit thorax gramineo virore latus, & toga ex flavo rubidoque varia, rugis atque plicis frequens. Scilicet perierat in Yolandâ Sanctimonialis; quanquam quod foris specieque tenus perierat, id intus remanebat in animo. Ita exornata Yolanda pro-  
dijt,

diit, ut Comitissæ Luciliburgensi valediceret. Quam venustè allocuta: Domina, inquit, quis pudor has me molestias atque iniurias in ditione tuâ perpeti! Ergone ego Sanctimonialis illa misercula, materia apta sum violandi honoris dignitatisque tuæ? Si quæ tibi adhuc est propensa ergà me voluntas, quæso te, prohibe vim istam, invisam haud dubiè marito tuo, optimo Principi. Per Deum te obtestor, ne sinas me in terrâ hâc tuâ universi orbis fieri ludibrium. Hîc Comitissa, Yolandam non nihil morata, Dic mihi, te obsecro, penitens ergo tibi deliberatum humana spernere, & divina sectari? Illa, planè deliberatum esse respondit, nec mutari ullo modo posse. Tum Comitissa: Si ita est, nec contrà ego ivero; quin potius videro, ut desiderijs tuis, si quæ potest, omni ope velificem. Quo dicto flens Yolanda cum matre dimittitur.

Ita profectæ, fortè sub meridiem tenuère villam rusticam, quo loco prandere statuerant. Ibi tum Yolanda abstrusum aliquem in angulum preces Deo oblatura secessit. Quod ubi animadvertère familiares, continuò advolant conspicui nobilitate iuvenes, magnoque edito strepitu precantem interturbant, projectis etiam in sinum lapillis. Ea petulantia Yolandæ lacrimas concivit, coeptamque precationem coëgit omittere, & sinè prece ad mensam accedere. Assedit prorsus impasta, & contumelijs magis, quàm cibo, saturata; matre & viris atque adolescentibus eque-

stribus iam Sanctimonialibus, iam Prædicatores cer-  
 ratim execrantibus, ingenti Yolandæ mœrore.  
 Mensis deindè sublatis, lotisque de more mani-  
 bus, mater in hortum sola secessit. Secuta mox  
 Yolanda. Ibi cùm in gramine confedissent, Yo-  
 landa integratis cùm fletu querimonijs, Suavissi-  
 ma mater, inquit, in tuâ situm est manu, mederi  
 dolori meo. Fer, quæso, quam potes opem.  
 Omne mihi momentum vitæ, acerba mors est,  
 dum Sanctimonialibus aggreger. Commota filia  
 lacrymis mater, solantis specie: Quando ita ne-  
 cesse est, cara filia, omninò ad destinata tua, uti  
 pervenias, te iuvero. Tantùm flere desine. Fe-  
 cero equidem, inquit Yolanda, scirem modo,  
 quod huic rei tempus præstituas. Cui mater;  
 dies non omninò quatuordecim. Id breve spa-  
 tium licet, Yolandæ tamen pro toto anno visum  
 est, tam gravis erat ei mora! Sed fefellit pro-  
 missa mater, duobus deinde totis annis & am-  
 plius Yolandâ in eo cruciatu mœroreque relicta,  
 Hinc continuò perfectæ, rediére Viennam.

